ANTONII LE GRAND;

SCYDROMEDIA

SEU SERMO,

Quem

ALPHONSUS DE LA VIDA

Habuit Coram

COMITE DE FALMOUTH,

De

MONARCHIA,

Liber Primus.

Impenſis JOHANNIS ZIEGERI, *Bibliopolæ,*
M. DC. LXXX.

3

Digitized by Google

Nobiliſſimo ac Generoſiſſimo

DOMINO

D. Gualtero Blunt,

Armigero.

ANTONIUS LE GRAND

S. D.

QUod coram Illuſtriſſimo Comite Falmouthio (Generoſiſſime Domine) Alphonſus ore pandit, tibi calamo detego. Verborum fortè, quibus uſus eſt, penè immemor, mentis tamen ejus, (ni mens aberret) non infidelis interpres. Haud vereor coram multis arcanorum proditor haberi, qui ſciam plurimùm intereſſe à multis cognoſci, quod fermè omnes juvat. Nam quid ma-

jus ſub cœlo aut Dignius Imperio contingere Hominibus poteſt? Eo, ut vitali ſpiritu genus mortalium ſuſtinetur, & indiſſolubili nexu cohæret. Ab hoc ſiquidem non Urbes, non Provinciæ modò, ſed & Orbis univerſus ſtat & pendet. Fateor unumquemque illis, ſub quibus natus eſt, legibus favere & ſuffragari: Id mortalibus cunctis ingenitum ſua extollere, aliena aſpernari. Iſtud Hominum imbecillitati concedendum eſt, qui focis patriis nunquam egreſſi, ſoli telluri ſuæ lucere Solem autumant, & in eam refundi maria. Tibi verò, qui externas Regiones peragraſti, & quid apud eas probè aut iniquè geritur, mentis ſolertiâ diſcuſſiſti, aliud eſt judicium:

tu enim Nationes omnes calles, ſcis quæ populis gravia, quæ utilia aut læta ſunt. Hæc tibi ſtudium, peregrinatio & Doctorum conſortium comparavêre. Mirum igitur videri non debet, ſi morum ac ſancitorum Scydromedienſis gentis judicem Te conſtituam. Experimento didiciſti miſcellaneam in Regno Religionem mutuæ concordiæ adverſari; illa, talem aqua & igni interdicit, & pro monſtro habet varii cultus populum. Sceleſtam doctrinam reputat, quæ non ab Apoſtolis tradita, poſteris inculcatur. Aſſeris dignitates, officiáque publica virtuti deberi, & illa iniquè detineri, quæ pretio emuntur. Scydromedi deſides ab-

 igunt;

igunt, & eos duntaxat aliis præeundi dignos exiſtimant, qui Animo, qui Eruditione, qui Prudentia excellunt. Damnas Monarcharum ambitum, qui habendi libidine omnia audent, & æqua omnia judicant, quæ felici eventu peraguntur; Scydromedienſibus horror eſt aliquid aggredi quod à jure deviat, & naturæ legibus non firmatur. Nihil iniquum toto hoc in regno, quod peregrinæ gentes repudient, aut in Vicinorum perniciem imitentur. Conſiliariis probitas ineſt, fides mercatoribus, Regibus erga Cives juſtitia, & Civibus erga Reges ſuos Amor & Veneratio. Iis Virtutibus veluti tot columnis immotum ſtetit per multa ſecula

Scy-

Scydromediæ Regnum, ſtabitque, ni vitia noſtra in eam gentem irrumpant, & ingenitam Virtutem externa malitia auferat. Optandum potius ut barbaris Reges noſtri æmulentur, & externæ gentis mores nobis ſint in exemplum. Vale, Generoſiſſime Domine, & diu feliciter Vive.

Datum Londini Kalendis
Maii anno 1669.

ANTONII LE GRAND
SCYDROMEDIA
Seu Sermo, quem
Alphonſus De La Vida
Habuit Coram
COMITE DE FALMOUTH,
DE MONARCHIA.
Liber Primus.

TErrarum orbe, Hiſpani Galliq; fœdere, pacato: Angliam adeundi animum ſubiit. Regionis fama, rerumque novitate illectus. Occubuerat commodum Tyrannus, & reddito imperii Jure, rerum Carolus Secundus potiebatur. Sceptro dignus, ſi virtutes ſpectes, & tantis negotiis par, ſi eligeretur. Hæc obiter, ob adulationis metum; gnarus mortem laudes ſequi, non anteire.

In Aula frequens nonnullos viſebam, quos caſus, neceſſitudine, in exteris Regionibus, Amicos fecerat. Ex iis, Illuſtriſſimus Comes Falmouthius eminebat, civili ingenio, miræ comitatis, & ſi livor abeſt, humanitatis fortitudiniſque exemplum. Tantis virtutibus acceſſerat Principis Amor,

qui civium animos permeans, bonorum caritatem augebat, malorum minuebat invidiam. Ob privatas rationes, interius illius cubiculum ingreſſus (id mihi ob familiaritatem conceſſum) virum conſpicor, menſæ aſſidentem, vultu demiſſo, & veluti ſilentio iram premeret, palmæ innixum. Accedentem, & prælocuturum Falmouthius occupavit. Optatò, inquit, ades Antoni, en quem complecti volupe erit. Et ignoto adhuc vultui hærenti, non Alphonſum, ſubjecit, tenes, in Belgio, mihi, tibi Amicum? nomine audito, laxo brachia, & omni ſalute omiſſa, paribus vlnis, prementem complector. Mox excuſatò, quod oris habitus, veſtiſque novitas ad peccandum induxerant; Quis Deus, quæ te fortuna hanc in terram Alphonſe, adegit? inquam. Relinquis penates? ut uxor, ut liberi valent? Ille ſalva omnia eſſe, reſpondit. Non ſpontè, ſed juſſum, Britanniam petiiſſe. A Belgii legato, ad Regem eſſe negotia, ſe delectum, qui perferret. Amplius interrogare non auſus; haud neſcius, arcana eſſe, quæ publica; & in conſcium delinquere, qui de iis curioſiùs expiſcatur. Ergò deducto ad alia ſermone, quæſivit Falmouthius, quo in ſtatu Flandriæ res eſſent; vegeta cum Gallis pax eſt? ait, non hi novos inſultus moliuntur? quî tamdiu à manibus abſtinent? & uti victoriâ ſuâ negligunt? Contine tantillum, Domine, retulit Alphonſus, recrudeſcet citiùs quam putas id bellum & ni

 mens

limine. Præſaga mali, vobis cum Batavis diſcordia, hæc novi origo belli, in quod potentiſſimi etiam Reges trahentur.

Comes riſu elato, quid in nos illi? quærunt Scarabæi Aquilas? audent imbelles damæ cum canibus congredi? Tibi fortè noſtri memoria exceſſit? Tot obrutas claſſes, tantos Duces morti datos, conſumptumque ferro, igne militiem, læthe ſacraſti? nihil in nos tota ea gens, niſi Deo irato, aut adverſo. Conticuit ad hæc Alphonſus. Vir moribus gravis, & ingenio, ut non humili, ita nec elato. In agendis autem rebus, promptus & acer. Apud omnes, præſertim Batauos, in honore: à quibus ut creditum, ficta ab Hiſpano legatione, in Angliam venerat. Omnî in patria peregrinus, ſuam ratus, quæ maximè faveret. Celebrem reddebat linguarum copia, quam non domi, ſed regionibus variis hauſerat. Ubi tantillum in ſe reductus, & fixis in Falmouthium luminibus, obmutuit, ita locutus eſt. Non temeritatis Batavos, fateor, abſolverem, ſi uti vos viribus, ita concordia valeretis. Sed veſtro diſſidio, eorum audacia naſcitur. In quid utile ferrum, ſi uno duntaxat digito prehendatur, & idem refugiant cæteri complecti? eo vos diſtringi morbo, quis ignorat, qui Angliæ nomen callet? Inter vos vix menſe diverſatus, nihil quàm vario cives impelli affectu audio: in una ſæpè familia. Patre Senatus, filio Regis partes tenente. Medii nonnunquam, qui

priva-

privatas ſpes agitantes, ambabus perniciem imprecantur. *Virus Republicæ, civium, diviſio eſt.* Quid in hoſtes arma in promptu juvant? quid claſſes ſalo comiſſæ? ſub ſignis militum vis? ſi reſcindantur animi, & victoria cladeſve in æquo eſt? Quot etiam numinis cultus non alienavit? quæ judicia, quæ novæ ſectæ non diſtraxêre miſeros? tum, dicere fas, *deſipuiſſe Anglos, cum pii fierent.* Pars Æditui adhærent. Quidam templa aſpernantur. Nonnullis Antiſtites grati. Cæteros geniorum impulſus urgent, & iis etiam motibus addita fides zeluſque. Quî ſtabit Imperii robur, tot diviſionibus contuſum? Qui in unum coagulabunt tot Religione diſpares? & in ſeditionem proniores, quàm ſaluti publicæ avidi;

Ditem patriam, & parandis copiis militiæ nervos penes populum eſſe fateor. Sed quibus tegi vos putatis, obruemini. Divitiarum amorem plebis animos frangere, & afflicta immodico luxu fide, peſſumdare imperia. Bene ſciſcitantibus Lacedæmoniis, quî hoſtilis impetus repelli quiret, reſpondit Lycurgus, ſi contentiones tollerent, & aurum abominarentur. Etenim mandat Rex civibus arma, & exercitui alendo pecuniam exigit, deficere ſibi vires, tantis laboribus impares eſſe cauſantur; & quamquam in vanis effuſi, non niſi rogata compulſi expromunt. Ut inde videre liceat, non tam viribus opibuſque regna, quàm animorum vin-

culo

culo firmari. Claſſe, legionibus, infirmiores aſſeris Batavos. Ergo contemnendi? *Vincere etiam deteriores poſſunt, quamdiu ſtrenui, quamdiu conſenſu in hoſtem feruntur.*

Verum, pone non nimias opes obeſſe ſervitio; da coire cives; & imperii ſummam omnibus eſſe cordi. Aliud eſt quo deprimemini, Senatus potentia. Fortè ad arma eundum eſt, quid abſque illo Rex poteſt? cui ſæpè blandiendum, ſubmittenda majeſtas, ut pauci nummi extorqueantur? Sæpe moram negotia haud patiuntur; imminet ab exteris diſcrimen, & repellendo, præſenti pecuniâ opus. Nihil intereſt; ſunt comitia convocanda; ſedere illi, & rem tractare volunt. Quid magni Rex moliri, ſi aliena ſemper manu egeat? ubi principatus arcana, ſi in tot pectoribus recondenda ſunt, & quibus non effutire, monſtrum. Quieſcat Princeps, qui nihil aggredi poteſt, niſi quod in omnium ore eſt. *Tegere unus debet, quæ ſcire alios, Reipublica nocet.* Adde (quod ſolitum) ab eo diſſentire Senatum, poſtulata abnuere, & ultrò infenſum, incœptis adverſari. Concutietur Reſpublica impotentia Principis, & qui vincere anteà poterat, adigitur in diſcrimen. Ne ergò tantum tibi viles Batavi ſint. Si imbecillores, veſtris telis pugnabunt, & qua laboratis diviſione, reficientur. Bellum muris cum Rana tenes, in quo cum uterque dominandi libidine ardent, rapiuntur. *Alieni arbitrii ſunt, qui in ſeſe exagitantur, & cum inferre vulnera tentant, hoſtem non cavent.*

Hæc

Hæc modeſto riſu excipiens Falmouthius, ſic Batavorum virtutem, Alphonſe, metiris? inquit. Et cogitas bellum audere, quia animo, cultu, ambitione disjungimur? Finge aliâ nos mente agitari, & miſſo diſſidio, libare concordiæ. Ubi Hoſtium vis? ubi robur? *Infirmitatis genus, non niſi alieno morbo valere.* Rectus ego, quoniam claudicas? Aut tu oculatior, quoniam mihi luminum acies hebeſcit? magnitudine ſua virtus æſtimanda. Quæ aliena clade eget, imbellis. Neque Anglorum ingenium probè ſcrutatus, Alphonſe, videris, (Tibi peregrino ſit venia) quum aſſeris multos in Senatorum verba trahi, plures à Rege ſpontè deficere. Exolevit jamdudum hic affectus; principis adventu, novis animis, facti pœnitentia ſucceſſit. Horrent paruiſſe olim Tyranno, & improbæ ſceleratorum turbæ ſubmiſiſſe cervicem. Enim verò, quo jam fructu, qua ſpe Senatui adhærerent, cui emendicata tantum poteſtas, & non niſi ad tempus data. Regi placet? fit cœtus. Diſplicet? ſolvitur. Quis periclitari amat, & neglecto navis Rectore, favere Remigibus? Cum uſu venit, favorem, dignitatem illum ſequentes, hos autem non niſi crucem, ſupplicia, manere.

Neque Hollandorum in rem facit, quod Religione diſtrahamur, quamdiu juncti ſalutem publicam ſpectamus, & unâ mente aggredimur aut repellimus adverſos. Quis numinis honor, cives à Principe arcet? quæ pie-

culo firmari. Claſſe, legionibus, infirmiores aſſeris Batavos. Ergo contemnendi? *Vincere etiam deteriores poſſunt, quamdiu ſtrenui, quamdiu conſenſu in hoſtem feruntur.*

Verum, pone non nimias opes obeſſe ſervitio; da coire cives; & imperii ſummam omnibus eſſe cordi. Aliud eſt quo deprimemini, Senatus potentia. Fortè ad arma eundum eſt, quid abſque illo Rex poteſt? cui ſæpè blandiendum, ſubmittenda majeſtas, ut pauci nummi extorqueantur? Sæpe moram negotia haud patiuntur; imminet ab exteris diſcrimen, & repellendo, præſenti pecuniâ opus. Nihil intereſt; ſunt comitia convocanda; ſedere illi, & rem tractare volunt. Quid magni Rex moliri, ſi alienâ ſemper manu egeat? ubi principatus arcana, ſi in tot pectoribus recondenda ſunt, & quibus non effutire, monſtrum. Quieſcat Princeps, qui nihil aggredi poteſt, niſi quod in omnium ore eſt. *Tegere unus debet, quæ ſcire alios, Reipublicæ nocet.* Adde (quod ſolitum) ab eo diſſentire Senatum, poſtulata abnuere, & ultrò infenſum, incœptis adverſari. Concutietur Reſpublica impotentia Principis, & qui vincere anteà poterat, adigitur in diſcrimen. Ne ergò tantum tibi viles Batavi ſint. Si imbecillores, veſtris telis pugnabunt, & qua laboratis diviſione, reficientur. Bellum muris cum Rana tenes, in quo cum uterque dominandi libidine ardent, rapiuntur. *Alieni arbitrii ſunt, qui in ſeſe exagitantur, & cum inferre vulnera tentant, hoſtem non cavent.*

Hæc

Hæc modeſto riſu excipiens Falmouthius, ſic Batavorum virtutem, Alphonſe, metiris? inquit. Et cogitas bellum audere, quia animo, cultu, ambitione disjungimur? Finge aliâ nos mente agitari, & miſſo diſſidio, libare concordiæ. Ubi Hoſtium vis? ubi robur? *Infirmitatis genus, non niſi alieno morbo valere.* Rectus ego, quoniam claudicas? Aut tu oculatior, quoniam mihi luminum acies hebeſcit? magnitudine ſua virtus æſtimanda. Quæ aliena clade eget, imbellis. Neque Anglorum ingenium probè ſcrutatus, Alphonſe, videris, (Tibi peregrino ſit venia) quum aſſeris multos in Senatorum verba trahi, plures à Rege ſponte deficere. Exolevit jamdudum hic affectus; principis adventu, novis animis, facti pœnitentia ſucceſſit. Horrent paruiſſe olim Tyranno, & improbæ ſceleratorum turbæ ſubmiſiſſe cervicem. Enim verò, quo jam fructu, qua ſpe Senatui adhærerent, cui emendicata tantum poteſtas, & non niſi ad tempus data. Regi placet? fit cœtus. Diſplicet? ſolvitur. Quis periclitari amat, & neglecto navis Rectore, favere Remigibus? Cum uſu venit, favorem, dignitatem illum ſequentes, hos autem non niſi crucem, ſupplicia, manere.

Neque Hollandorum in rem facit, quod Religione diſtrahamur, quamdiu juncti ſalutem publicam ſpectamus, & unâ mente aggredimur aut repellimus adverſos. Quis numinis honor, cives à Principe arcet? quæ pie-

pietas in ſeſe exaſperatur, & alios juvat, ſibi nocitura? Societatis vinculum Religio eſt. Non Deus colitur, ut odio proximus ſit, ſed Amori; Si quas ſimultates alia Sanctitatis ſpecies pariat, eas patriæ charitas dirimit. Anglis ſolenne, invidiam ponere, cum diſcrimen urget, & remiſſo publicis utilitatibus privato odio, capeſſere arma, ſtare ſub vexillis, & rempublicam morte tueri. Ut aberrare ſcimus, ita coaleſcere.

Addebas noxia eſſe poteſtati Comitia: & impares dominationi eos, qui ad hæc adiguntur. Quidni hoc pacto, omnia imperia ſubvertas, & iis dumtaxat aſſentiaris, qui imperitantium libidine aguntur. Septem Conſiliis Hiſpaniarum moles innititur, & iis ſponte Monarchæ adhærent, quamvis rerum ſumma penes eos. Qvoties etiam Gallis cöeundi fit neceſſitas? Deeſt imperii Hæres? inſoleſcunt purpurati? mores in deterius vergunt? reſarcienda imperii vis? Ex tota gente concilium aſcitur, & electis quicquid ſtatuendi poteſtas relinquitur. Etenim quid naturæ adhæret magis, quam cujuſque eſſe, proprio labore parta? Id omni nationi, rationis inſtinctu, datum, iis frui, quæ obtinueris. Alioquin, quis conquiſitorum Dominus, ſi ex iis, quantum Principi lubet, ſumere liceat, & publicæ ſalutis obtentu, conferre ærario? Quid à Tyranno legitimus rector differt, ſi ſuorum opes haurire, & gazas ſuas vindicare, pro libitu poteſt. Si regnare diu cupiat,

piat, à civibus haud extorqueat, quæ illorum poteſt aſſenſu comparare. Neceſſitates pandat, ſponte largientur, ſi ſe, regni ſi diſcrimi- intelligant; norunt Rege incolumi ſe tutos, imminere perniciem, ſi deſtituatur. Quid porrò illum populo magis quam hæc neceſſitas conciliat, cum utrimque amor, utrimque ſpes alliciat. Ille placet, ut obtineat, hic dat, ut juvetur. Tyrannidis ſpecies, ubicumque hæc norma non viget. Temerè bellum ſuſcipienti, & abſorptis luxu, voluptatibus, theſauris; nobis ſubveniendum erit? cogemur novo ære fovere ſcelera? Id mortalium mens refugit, reclamant gentium jura. Pecunia in utilitatem publicam donetur, non in Regentis luxuriam.

Neque Senatus dignitatem Alphonſe labefactat, quod à Principe nonnunquam diſcrepet. Id Authorum inſtituto adverſari teſtatur coëundi poteſtas, quæ ſtatim definit, niſi unione fulciatur. At nuper deſcivit à Rege, & ambitione ductus reverentiam exuit. Quis neſcit templa ſæpè violari, & recedere à curſu ſuo ſidera? Iniquè fit, quod contra jus aut morem committitur. Juſtè conditas eſſe leges, quis abnuat? & tamen multi temerant, plures ſpernunt. Ut quæ putreſcunt, calore nativo frigent; caleſcunt aſcititio, ita facile mens humana corripitur, cum à prima inſtitutione deficit, & omiſſo officio, potentiæ limites tranſgreditur. A factione igitur Comitiorum rectitudo titubat. Sacra res, Senatus,

ſus, quamdiu modum non exuperat. *Æquum eſt ſemper, quod ſemel fuit.*

Si è ſalute quoque liberi populi Reipublicæ adminiſtratio judicanda, ſecurius vivitur, ubi penes Senatum, tributa, quàm ab unius arbitrio pendent. In Gallia, ubi Regis ſolius poteſtas valet, quas injurias jus illud ſummum non parit? Cum ab imperii finibus remotus Princeps, ignorata ſæpe ſuorum inopia, vectigalia expoſcat, quibus ſolvendis impares, pecore abacto, lares vendere, & linquere ſedem compellantur. At coalitâ in unum gente, quibus quiſque valeat, quid Provinciæ poſſint, diſcutitur, & non niſi penſatis opibus fit exactio. Non ea in eorum contemptum Alphonſe, adjicio, qui cive inconſulto, tributa exigunt, qui ſciam plurimos eo eximi jugo, & omni obſequio ſolutos regnare. Sed ut intelligas, tutius Regi eſſe, ſi à ſuis amore impetret, quod alibi extorquetur; noſque eâ libertate donari, quam cæteri populorum optant. Non Dominationis jura, reſpondit Alphonſus, eam libertatem patiuntur. Horret ſceptri gloria, obſequii nomen, nec ſinit aliquo vinculo eos adſtringi, qui ad imperandum geniti ſunt, aut eliguntur. Ubi Monarchia, ſi populus regnet? ſi proceres Principis potentiam obtendant, & irritum ſit, quicquid illis numinibus non afflatur? Hinc (retulit Falmouthius) publica ſalus pullulat, vigent leges, Religio floret, fides pactis habetur, & de omni-

omnibus iis cura, quæ cunctorum intereſt, ſervari. An modernorum forte politia placet (abſit ut majorum inſtitutiones, quas ut ſacras veneror, damnem) qui nullis præceptis innixi, tempori ſerviunt, & non niſi prout tunc conducit, negotia tractant? Quotuſquiſque Regum Religioni conſulit? Quotuſquiſque dum agit, ut normam ſequitur? iis ſatis umbra, & pii haberi. Quid illa opus, aiunt, ſi æquè illius ſpecie, in partes confinii trahantur, & ad ſcopum meditata veniant? Plerique, quos tantum miraris, Regum, Alphonſe, quorundam fontium aquis ſimiles ſnnt, quæ ſuperficie dulces, in imo amareſcunt. Titulo Divi, vita Athei, & quibus pietas, non niſi in quantum prodeſt, eſt in pretio. Quid tertius, quàm in aliorum peſtem ſacris abuti, & ad ſcelera cogere ſanctitatem? illis nihil familiarius. Inſolens quid moliuntur, quod ſuorum libertatem lædat; Quoſdam pietate notos allegant, qui mentem benignè interpretentur, qui facinora pro roſtris extollant, & Reip. convenire depredicent. His jaculis civium animos penetrant, & quod armis non valent, Religionis opinione aſſequuntur. Placent qui ſcelere principatum quærunt, aut invidiæ dolum miſcent? Quinam aliena obtinent, iis vacui? Vis pro jure eſt, rectoris impotentia arguitur, & volunt ſubditis eſſe beneficium, ſuperari. Criminibus exigui lapſus, vitiis infirmitates confunduntur. Quas non illi vir-

tutes dirimunt? prælio acer, qui victus eſt, erat? crudelis. Miti indole? puſillanimis pius? ſuperſtitioſi nomen imponunt. *Nihil malitia invium, ſeu virtutes minuat, ſeu fingant vitia.* Forte ſuorum contumaciæ Princeps ceſſit; & tumultuantium ſævitiæ, immane dictu! Libatus eſt: illico Tyrannus, & ambitionis martyr occubuiſſe ſpargitur. Nemo ab iis tutus: Hoſtis eſt, quiſquis putatur. Abire in victi partes purpuratum ſuſpicio eſt, haud mora, crux erigitur, premunt carnifices, & non raro, antequam examen fiat, datur neci. Sat, diſcrimen imminere, ut innocens pereat. Non Amor, non ſanguinis nexus ambitui obſtat, foditur parens, proximi ſupprimuntur, & Romuli exemplo, frater etiam interimitur pro regno. Illis oraculi loco, *ſi jus violandum, regni cauſa violetur.*

Truculentum hunc regendi modũ, Alphonſe, juſtæ Dominationi præfers, in qua lege vivimus, in qua Deo honos, & cuiq; ſuũ? In qua nihil invitis eripitur, & quilibet cenſu ſuo gaudet? Abſit, reſpondit Alphonſus, ut tyrannidi adſim, qui cenſeam, quamlibet impotentiam majeſtati officere. Unicũ mihi imperandi genus placet, Scydromedienſium principatus, in quo, quæ in cæteris diſſociabilia, miſcentur; populi libertas, & unius imperium. Decantata jamdudũ hæc apud veteres, ſubjecit Falmouthius, & in ore potius, quam credita. Nihil mirum, inquit ille, quæ modum excedunt, eſſe pro commentis. Ingenitum

nitum nobis, noſtra mirari, & optima quæque ducere, quæ facimus. At ea tibi mens facilè excidet, ſi Scydromediæ principia, imperii leges, populi ſtudia, pace, bello intellexeris. Quæ non ſcripto tenus tantum hauſi, quinquennio apud eos diverſatus, & (ni fallor,) exactus ſatis ſpeculator. Captus imperii novitate Falmouthius rogavit, qua in orbis parte ea patria, qui incolæ, & quî non antehàc de iis aliquid exploratum. Uſui Regibus eſſe, exterorum noſſe mores, & in quibus noſtris accedant aut varient, habere compertum. Si cæteris gentibus regendi formâ, Scydromedii præſtant, cur non in exemplum prodeunt? Cur chartæ non mandas, quæ ſcis allatura poſteris commodum? Aliis fortè Principibus invides? & ſcribere abnuis, ne proſis? Id dii avertant, reſpondit Alphonſus, fuêre, quæ objectas, non ſemel in animo. At cui fini, ſi ea duntaxat lecturi ſunt Principes, ut ſciant, & excerpturi quæ favent, non quæ juvant? Differam Scydromedios ab uno regi, & penes eum leges, arma, ærarium eſſe. Obſtrepent, qui democratiam tuentur, & nihil æquius pendent, quàm quod multitudo imperat. Aperiam, nexum eſſe animorum Religionem, & intuta regna, ubi miſcetur. Quidam inſinuabunt homines libertate donatos, volentibus victima expoſtulari, nec fas conſimilibus ad numinis cultum trahere invitos. *Sat proponere, quod injungi non poteſt.* Si erectus in imperii decus, ob-

nitar plebis potentiæ, cenſeamq; exuendum Principi jugum, cui ad exigenda tributa ſubigitur. Vos qui Senatus fovetis, ſævitiæ arguetis, & tyrannos pronuntiabitis, quotquot ſic imperant. Narrabo apud Scydromedios arma cohiberi, ubi de belli iniquitate conſtat; impium, conterminos laceſſere, niſi injuria adſit. Exurgent qui juſtum eſſe bellum clamabunt, ſi proſperum. Jus ferro cedere, & cœptis numquam deſiſtendum, niſi eventus infelicitas premat. Honeſtum à ſcelere, non niſi ſucceſſu diſtingui. Quid oſtendere proderit, dolum apud Scydromedios odio haberi, ineſſe verbis fidem. Et nihil putari turpius, quàm pactis fraudem innectere. Illicò rerum ignari pronuntiabuntur. Intutum Regibus detegere mentem, & indignos imperio, qui diſſimulare nequeunt. Propalabo ſuis eſſe contentos terminis; non vicinis inſidiari, & unum uni ſufficere regnum, cui ſæpè impares ſunt, qui obtinent. Nemo non in me invehetur, quod excordes ſcydromedios fecerim, & nimis in re licitâ meticuloſos. Mundum univerſum patere armatis, capientis eſſe, in quod jus nemini à naturâ datum, & ſi ut Leo non poſſit, ut vulpes aggrediatur. Devinciant muneribus purpuratos, plebem pollicitis alliciant, & ſubornatis, qui regentis vitia exaggerent, motus cieant, nec opprimere vereantur, quos vincere ſine periculo non valent.

Talia cenſentibus, quid frugis adferet

Scydromedienſium exemplum? ad quid eorum religio? ad quid fides, moderatio conducet, ſi ea apud nos tantum ſpecie vera ſunt, & omnia liceant, quæ cupido probat aut ingerit? utcumq; retulit Falmouthius, non inutilis conatus bonis in æmulationem erit, & vice ſpeculi, malis, ad errores corrigendos. Omnibus noſſe proderit, quæ in regnorum decus faciut, aut labem. Quod vitiis remedium, ſi lateant? & quæ corrigendi ſpes, ſi admonere dedignamur? ſit publicum, quod ſalutare eſt. Si ſcriptio haud placet, ore ſaltem exprome, quod mente tenes. Id lubens curioſitati tuæ darem, mi Falmouthi, ni alibi avocarer, urgent ad Regem negotia. Hæc primum fieri fine, aliàs votis reſponſurus, & iis dictis vacuos reliquit.

Neque diei reliquo aliud relatu dignum, niſi quod inter cænandum, cum de quorundam Regum erroribus ſermo eſſet; quæſitum, an jure meretrices tolerarentur, conduceretq; Reipublicæ, permitti? Auſus unus vitæ vilitati patrocinari, peritus legum, & pellicatu juxta, ac ſcientia inclytus, (Nomen conſulto ſubticeo ob dignitatis reverentiam:) Quid ni, inquit, id liceat, quod majoribus probatum, ſancitum legibus. Apud Lydios in more, filias meretricari, & nactas eo queſtu dotem, adferre ſponſis. Proſtituebantur olim in templis virgines, & (ſi fides authoribus) victima erat, quæq; polluebatur. Nonne Scortis quondam Romæ vicus?

 & iis

& iis impunitas, quamdiu ſuburâ continebantur? quid in mulierum poteſtate magis, quàm ſui copia? quâ ſi careant, quomodo nubent? quî matrimonium citra conſenſum ſtabit? Si in perpetuum poſſit, quidni ad tempus? omnibus pateat, quod cunctos delectat. Quid egregium natura fecit, quod commune non eſt? cunctis Sol adeſt, feris Luna favet, & quas antris lux coërcet ad paſtum tenebræ ducunt. Fluviis motus perennes, & orbis plagas permeantes aquæ aliemento ſunt, per quæ dilabuntur. Si bonum Amor, quorſum in omnes non diffunderetur? id leges ſinunt, quibus corporum uſus permittitur, ne mala graviora contingant, & ſtupris adulteriiſvè pateat locus. Filias Sodomitis Loth, ut hoſpitibus parcerent, obtulit, & cædem cogitavit poſſe ſtupro redimi. Quid Regibus ſolentius quàm inferre exteris arma, ut domeſticos motus arceant? *Boni nomen ſortitur, quod minus gravat.*

Talia jactantem Presbiter non tulit Vir ore placidus, moribus auſterus, & apud ſuos, ob dignitatem, in honore. Quippe Regi à ſacris gradum inter Pontifices obtinebat. Cave, inquit, Domine, ne quum publico conſulis, tibi ſis, noxa. In te condices ſacri, in te jura pugnant. Sit mens Loth ſua: peccaveritnè filias tradendo, an ſcelere immunis, non exquiro. Judicet qui corda ſcrutatur. At ſi revelatis credendum, attende Moyſi: *Non erit meretrix de filiabus Iſraël,* Deut 13. *exclama-*

clamavit Domininuus contra Jeruſalem, eo quod lupanar ædificaverat, & proſtibula in plateis.Ezech. 16. Struere audebunt homines, quod inhibetur, & maledicto Deus onerat: haud ſum neſcius aſſerere quoſdam, Adulteriũ dumtaxat decalogo interdici, & mulieribus uti fas, quæ connubio non junguntur. Si ità, cur Fornicarii cœlo excluduntur? & Chriſti membra infici Apoſtolus clamat, dum noſtra maculantur? Ne tibi blandiaris, Domine, Adulter eſt, quiſquis cum fœminâ delinquit. Ut furtum cujuſque rei alienæ uſurpatio eſt; ita mœchus cenſendus, qui ſub fornice cubat. Nulli fas mulierem, præter propriam experiri. Quamquam illa ſui juris videatur tibi: extra tamen lecti fœdera, impotens ac neceſſum, ut in perpetuum ſe dedat, quò impunè libidini vacet.

Neq; obeſt connivere legum oculos, & in Veneris furta non animadverti: non conceditur, quod neceſſitas extorquet. Ut infligi uſuras Principes ſinunt, ne amoto fræno in pauperes, divitum avaritia graſſetur. Ita invaluit juvenum pravitas. Ut ni publico libido fiat, nuptarum, virginum, caſtitas periclitetur. Sint impuris ſordes, modò ſecurus pudor. Omnium tamen expetendum votis, ut quod jura negligunt, Reges proſeqvantur. Ah! quot mala, eâ licentiâ, Reipublicæ non irrepunt? Aſſumuntur in hæreditatem ſpurii, ingenuo ſtirps vilis ſubrogetur, & exitio ſæpè eſt, legitimè naſci. Non enim cuncti

 No-

Nobiles, qui eo ſe titulo jactant. In illuſtres Familias ſartorum gnati ſæpè intruduntur, & ad Principatum genitus, ſubigitur aratro. Cenſebis, Domine, id commercium publico utile, quod ſcriptura vetat, quod jura ſubuertit, & hominum communitati eſt noxium? Malè olet, qui ita fœdè loquitur. Non iis verbis tangi Aulicus viſus, ſed traducto ad alia ſermone, cæteris judicandi copiam ſubduxit. Neque multò poſt cæna ſoluta. Et quoniam nox provecta erat, domum itum. Poſtera luce ſolutum negotiis Alphonſum, ego, Falmouthius convenimus. Eſt Regiæ in propinquo ſeptum, planitie elegans, gramine virens, & mixta avibus pecora, commodo, voluptati. Hæc ſine cuſtode paſcuntur, illæ ſine periculo avolant. Reverſuræ enim tantum per aërem ſpatiantur. Ingens anatum grex, quas color varius, aut forma diſtinguit. Cæteris una diſſimilis, omnes uni-Rivos, quibus deliciantur tenellæ plantæ cingunt, quæ multiplicatis ordinibus, ambulacra conficiunt. Quà Jacobeum palatium vergit, alia grandiorum arborum ſeries in longum porrigitur. Spatiantibus, dum ſol æſtuat, umbra; dum alget, refugium. Illic poſtquam conſedimus, Alphonſum Falmouthius rogavit, ut promiſſum exhiberet. Panderet regnum illud, quò tantum caperetur. Non diu ille tergiverſatus, lubens, inquit, quod pollicitus, exequar, modò non grave ſit, audiri. Et iis dictis collecto tantiſper

tiſper animo, incœpit. Gallicè quidem prompta, ſed quæ alienâ voce, more meo, prout memoria ſuppetet, in lucem, per capita, efferam.

ANTONII LE GRAND,

SCYDROMEDIÆ.

Liber Secundus.

Cap. I.

SCydromedia terrarum, quas peragravi, amœniſſima, verſus Indiarum oram porrigitur. Uti non tellure, ita nec pelago tota clauſa. A meridie perpetua arenarum planicies objacet inutile ſolum, & non niſi monſtrorum ferax. In ſeptentrionem à latere Hiſpania, in occidentem Nymphii obtenduntur. Acer bello populus, & Scydromedios aggredi interdum auſi. Ab occaſu apertum mare, paucis notum, noxium pluribus. Hinc ſacrum nunc tentare, quod tamdiu nocuit. Litora rupes muniunt, & quà ſubeunt naves, ingens portus, aditu aſper & non niſi ſinuum gnaris, tutus. Quà nymphios proſpectat, inter-fluente collibus fluvio defenditur. Curſu validus; reluctantes ob latentia ſaxa aquæ, & nave duntaxat trajiciendus. Ab eo planicies elegans, ubere ſolo, fertilibus agris. Nuſquam ſerpens aut coluber, terra venenatis vacua. In tuto quoque greges, niſi ob luporum metum, qui nonnunquam

 peco-

pecora circumveniunt. Illos non pedo paſtores, ſed calamo abigunt. Horrent enim ea animalia agreſtium avenas, & veluti ſono ferirentur, ululatu aufugiunt: Arbores bis in anno ſe in flores induunt, totidemque fructibus turgent. Hæ in privatorum hortis reconduntur. Informes verò, & quæ floribus nudantur, campos ornant, aut itinera claudunt. Armentis prata fatigantur. Ovium carnes in deliciis, quæ herbarum, quibus paſcuntur, odorem veſcentibus referunt. Patriæ felicitati accedit ingens avium vis, ſed quas occidere, Regis injuſſu, nefas. Compertum, inde avolare, ſi nimium infeſtentur. Barbari incolæ, quamdiu ſui fuêre. Feritatem emolliere victores; & culta Meduorum ingenia. Nam ab iis jamdudum viribus ſubjacti. Atquoniam nullius in alios, ſed penes vnumquemq; potentia erat, ſtatim de Jmperio agitatum. Quibuſdam popularis ſtatus placebat. Hunc maximè libertatem ſpectare. Averſari naturam; uni omnes ſubjici: Atque ſocietatis manibus fulciendum, quod omnium intererat, ſervari. Debere communia eſſe laborantibus prœmia. Iniquum, cunctorum parta unius fieri mercedem. Hæc paucorum. Cæteri popularem potentiam aſpernabantur. Neſcire multitudinem modum, cui proprium, humiliter ſervire, aut ſuperbè dominari. Quorſum amplecterentur, quod quiſque in familia ſua damnaret? Eſt filio cum patre jus, idem? Si

paren-

parendum, æquiori imperio committerentur. Unum Reipublicæ corpus; atque unius virtute ſuſtinendum. Antiquiſſimum Principatum, cui Animantia, cui Homines, faverent. Præcedere armenta taurum: regi ab opilione greges: Apibus erga unum honorem eſſe; & quæ vix teneri poſſunt aves, ſimilem ſequi. Non plures Deos cœlum, non ſociatos Reges mundum pati. Id eligerent, quod cæteræ nationum amplecterentur. Id Hiſpanis, Germanis, Gallis commune, ei ſubmitti, qui ſupra metum, ſupra gratiam eſt. Neque defuit, qui illud Homeri pronunciaret:

Nec multos Regnare bonum, Rex unicus eſt,
Unius imperium, cui Iupiter aurea magnus
Sceptra dedit, juſſitque ſuis dare jura tuendis,

Haud mora ad ſortes, ad ſuffragia itum. Omnium conſenſu Scydromedus Meduorum Dux eligitur. Armis (ſi famæ credendum) & regendi artibus inclytus. Ab eo Scydromediæ nomen terræ inditum. Eodem die capiti diadema impoſitum, ornata ſceptro dextra. Mox veluti compendio officii admoneretur, recitati hi verſus:

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo equidem vivos ducent de marmore vultus,
Orabunt cauſſas melius: cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia Sidera dicent.
Tu Regere imperio populos Scydromede memento,
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Hic

Hic mos, hic ritus ære inſculptus in hunc quoque diem, in Regum inauguratione perſeverat.

DE SCYDROMEDO, *Regum Primo.* *Cap. II.*

IN ſolium evectus Scydromedus, non Regis vocabulum ambiit, ſed ſpreto, quo alii intumeſcunt faſtu, Principis appellatione contentus. Haud neſcius humanitate jugum minui, amore devinciendos, quos regere ſuſceperis. Cunctos mortalium imperii nomen vereri, & in ſervitutem etiam paratos, horrere quod optant. Poſtquam regium titulum aſſumere auſus, de futuro anxius, & ne in incerto hæres eſſet, in domo ſua Succeſſorem ſtatuit. Providè, ne interregnum bellorum materies foret, omniſque competitio tolleretur. Cautum tamen, ne ſedem vacuam muliebris ſtirps occuparet. Imparem tantæ moli fœminam, cui niſi pro ratione voluntas, pro conſilio audacia. Inſtructo dolis pectore, ſi introſpicias, imbellem ignavamque, ſi vultum ſpectes. Suppetit fortè animus? acriores, quàm æquum, impetus ſunt. Lex eſt, quicquid voluntas jubet, aut ſuadet licentia. Ubi fides, ſi nunquam mulier non mutatur, & à decretis alterno momento diſcedat? Aſpera res imperium, & quam luxus, laſcivia labefactant,

viles

viles curæ deprimunt. Tetrius nihil comminari Dii poſſunt, quàm ut viris fœmina imperet. Cæteris mente, viribus anteat, cui omnes obſequuntur.

Hoc inſtituto, ne offendiculo novitas eſſet, mores receptos retinuit. Magna apud populum conſuetudinis vis, & quæ non niſi cum periculo infringitur. Ratione ſtrui putatur, quod ſuetum eſt. Hinc veterum ludi, deliciæ, & quæque barbaris grata, non impenſa modò, ſed principis exemplo firmata. Judicibus poteſtas, magiſtratui faſces eædem. Omnia denique præter otium retenta; quod ut vitiorum ſtirpem, etiam nunc oderunt. Gliſcente imperio, ab antiquis moribus paulatim diſceſſum. Aboliti prophani ritus, dejecta idola, & poſcente ſic utilitate, quædam abrogatæ leges, temperata majorum placita. Non omnia ſemper conveniunt, inſunt temporibus ſui mores, quibus, cum fas, ſuccurrendum. Tutò dirimitur, quod errore introductum eſt, aut mala conſuetudine fotum. Quanquam legum Conditores Reges, iis tamen non penitus eximuntur. Spontè ſibi imponunt, quæ obſervent. Nihil enim potentiæ licere agnoſcunt, quod per æquitatem non licet. Naturæ, rationis legibus ſubjecti, cæteris imperant, eorum cuſtodes, quæ ab aliis obſervanda volunt. Nam qui ad criminum ultionem ferrentur, ſi illa patrent, & in ſeſe jura damnent, quæ in populo conſtituunt.

 tuunt,

tuunt. *Exemplo commendent, quod ſcripto ingerunt.* Neq; apud Scydromedios, quod pluribus gentibus commune, inertes Principes, & inter delicias ſepulti. Vileſcunt, quicunque non virtute, non litteris clareſcunt. *Simile principi indecorum, malè inſtitui, & turpiter naſci.* Hinc à teneris annis præceptores dati, qui ſapientia animum imbuant, virtute roborent. Quibus enim magis prudentiâ opus, quàm qui de rebus ſummis conſultant? Quibus tenaciori juſtitia, quam qui legum vinclis non ſtringuntur, & quorum violatio aut contemptus, impunitas. Quibus fortitudine firmiori, quàm quorum viribus, conſilio ſuſtinentur omnia? Sit ei modeſtia, ſit pietas, qui in cæterorum exemplum prodit.

DE REGIA ET AULICORUM MORIBUS.

Cap. III.

Aulæ forma, Principis mores. Hos Scydromedii æmulantur; cogere rati, quicquid is probat, aut ſequitur. Veſte negligens eſt? vili teguntur. Non aurum apud eos, non gemmæ in pretio. Indigna Viris, quæ Fœminas ornant. Solis Dignitatis inſignibus Rex dignoſcitur. Cæteros officiorum ſigna diſtinguunt. Non corporis ſpecies, non majorum ſtemmata; ſola virtus ſpectatur.

tur. *Aliis præſtat, qui melior eſt.* Inde æmulationis origo, & æquales præcedendi aviditas. Nullus ibi maledicentiæ locus; ſcelerare majeſtatem putatur, qui Principis Miniſtros maculat. Quis fortè deliquit, ad eum defertur culpa, quam ſecretò punit & caſtigat. Muliebre alterius lædere famam, & allatrare, quos aggredi pudet. Calumniam excipienti, eadem quæ detrahenti, pœna. *Nam aſſentiri cenſetur, qui maledicto non obſtat.*

Par in Numen juſtitia. Carcere impii coercentur. Mors adulterio mulcta. Virga mendaces; mutilatio blaſphemos manent. Dei nomen, extra jus ſumere, nefas. Aula pellitur, quem ſuperſtitio inficit, aut rerum divinarum neglectus mancipat. Nihil verò infeſtius Adulatore reputant, quem ut furem, ut ſacrilegum abominantur: qui Amicitiam prætexens, rationem ſurripit, & dum favere videtur, vulnerat. Illi vitium, cautis etiam imponere, & ut vera prædicare, quæ mentis occulto damnat. Avertendo malo, conſiliarii plures à principe inſtituuntur, liberè cuiq; dicendi poteſtas data, ne inter paucos adulatio irrepat, aut fræno coërceatur judicium. Nullus honor in Regia venalis. Soli merito patent faſces, bacula. Reipublicæ noxium, virtute ſpretâ, opulentos erigi, qui ſæpè rerum ignari, gentium jura miſcent aut confundunt. Dein, qui empta vendere princeps impediet? Suum quis-

quiſque putat, quod pecuniâ obtinuit. Ergò innoxia omnis poteſtas, & bonarum artium præmium. Pecuniâ dignitatem mercatus deponitur, & (ni gratia adſit) exulare, penatibus relictis, cogitur. Eadem in receptorem pœna. Ita præmiis quæſito amore, & injecto ſuppliciis metu, proſperè imperatur.

Nemini fas Principem niſi ſcripto adire. Obſcura ſæpè, quæ petuntur, & quæ non niſi ſerio examine diſcutienda. Dedecus Majeſtati, à priori diſcedere ſententia, aut præcipiti judicio, incurrere temeritatis notam. Codicillis quoque, votis annuit. Levi præſidio ſtipatur, innocentiâ ſuâ, & civium amore fretus. Munimentum id putatur munimento non egere. Ad quid armatis opus, ſi hoſtis abeſt? Si ita cuſtodito libertas adimitur, & à captivo Rex haud differt? *Lictores habeat, quem ſcelera mordent, aut ſequitur odium.*

DE REGENDI ARTIBUS.

Cap. IV.

Hæc ab initio Scydromediæ Regum cura, ſuorum noſſe mores, & à virtutibus diſtinguere vitia. Prudentiæ munus indolem, in quod propenſa, metiri, & prout viget langue-

languetvè, dimittere aut amplecti. Induſtrius vir? evehitur. Iners? domi ſtertit. Audaci arma, Urbanis faſces conferuntur. Quiſquis, ut præſtat, eminet. Ingens quoque ſollicitudo veteres tueri familias, & illuſtres habere, quibus dominentur. Declinat à prima origine Nobilis? erigitur. Et matrimonio ſuſtentatur aut pecuniâ. Non eorum morem ſecuti, qui tutius, regnare principem rentur, ſi inopes ei, & abjecti pareant. Iſtis ſe periclitari credunt, Illis, ſervari. Tyranni eſt, nobilitatem odiſſe, & vilibus fidere animis. Ut Deus Angelos gradibus diſtinguit, & ordine ſeparat, ita Rex, cujus in terris vicem gerit, ſtirpe claros fovet, juvat. Dignitati ſuæ providere exiſtimat, dum iis conſulit. Inter purpuratos gliſcere lites non patitur. Poſt monitionem, in ſeſe exaſperari, aut diffidere, crimen. Quî enim Regnum ſtabit, ſi, quibus fulciendum, columnæ concutiantur, & in ſeſe ruant. Uti ſcelere pœna, ita Virtuti præmium. Iis duobus veluti Diis, tota imperii moles innititur. Quoniam verò in obſequiorum mercedem, æraria haud ſufficiunt. Neque Rectoribus in ſuorum voluptates impendere quæ provinciales largiuntur, aliter fit ſervitio ſatis. Parvi rependitur meritum. Ex quercu coronâ miles, Dux victor triumpho donatúr. Pro patria defunctis ſuus etiam honor cultuſque. Dignitatum ſumma, equitatus eſt. Id adepti conſilio interſunt, vel ad præfe-

ſturam evehuntur. Intra gloriam quoque eſt, capiſtro cingi, ubi de hoſtium ſtrage probatum. Omnibus decor patet, nemoque inglorius, niſi cui hebeſcit animus, aut brachia torpent.

Similis in puniendo æquitas. Nullus indictâ cauſâ interit. Ad militare jus recurrere, iniquum, ubi ordinarium valet. Legibus Reges obſequuntur, & aggredi horrent quod juſtitia vetat. Perituri, cauſas ſuas tuentur, aut damnant. Fortè primorum quis injuria incuſatur, aut Reipublicæ carcere recludi intereſt? detectâ innocentiâ ſit liber, & extractum laus, dignitas manent. Haud indecorum apud eos, inſontem præfici, & catenarum loco injicere torquem. Quippè non quòd agitur, ſed quid agendum, ſpectant. Non à ratione imperandi leges abeunt, quæ ſemper una eſt, ſeù offenſam ex læſione formides, ſeù caſus diſtrahant. Summum etiam Regibus ærarii ſtudium. Haud neſcii, ferro validiorem eſſe pecuniam, & Reipublicæ nervos. Piaculum civi, aurum ad exteras transferre gentes. Flagellum autem iis imminet, qui nihil induſtriâ ſuâ Principi conferunt. Ita abacto otio, ſuorum laboribus diteſcunt, alienis turgent. Vectigalia ab Agricolis, à mercatoribus ſumuntur. Fovendo commercio naves habent, quibus merces efferant aut aſportent. Imperii ſumma putatur, mari potiri. Serico, lanâ, aromatibus cum

finiti-

finitimis regionibus coitus fit. Ab iis excerptum aurum, & levi pretio empta arma, revehuntur. Non negotiationem nobiles refugiunt: Sed quod per ſe cives, illi per interpoſitos exercent. Non pretio ſemper merces, commutatione ſœpè tolluntur. Nullum verò lucrum certius, quàm quod è terra Reges faciunt. Incerta quæ ex agrorum fructibus, aut maritimis portoriis. In tuto, quæ fodinis eruuntur. Metallorum ferax illa terra, quibus imperii vires reſarciuntur, cum lubet.

DE CONSILIARIIS, SECRETARIIS.

Cap. V.

VT nihil habet Magnificentius natura, quàm pluribus unum præeſſe, ita nihil difficilius. Rerum enim mole premi Reges neceſſum eſt, ni mens ſana adſit, aut prudenti conſilio juvetur. Hinc apud Scydromedienſes cura, ut qui in Conſiliarios ſumuntur, cæteris præſtent. An fidi ſint, probitate noſcuntur; atque ſi privata ſedulò adminiſtrent. Nam quis alienis proſpiciet, ſuorum negligens? Requiſita quoque hominum rerumque peritia, quâ potiſſimum ætate graves, valent. Siquidem variæ fortunæ experimento, prudentiam adepti, ſuadendi uſum

 compa-

comparavere. Obeſt autem conſilio juvenum ardor, quibus pro ratione ſœpe impetus, pro virtute, temeritas eſt. Animis fluxi facilè fraudibus patent, & prout ira, ambitus, cupido trahit, conſulunt. Non omnino tamen juvenilis ætas contemptui. Aliqui ingenio eminent? ſenibus adjunguntur, quorum contubernio ardor compeſcitur, & præcipitis ſententiæ coërcetur impetus. Nam iis, niſi poſt antiquiores fari, non licet. Duplici ex cauſa factum, ut deliberandi tempus detur, & ne priorum judicia diſtrahant, aut immaturè oppugnent. Cunctis autem ineſſe pietas debet, à qua Regni juxta ac Principis ſalus pendet. Exemplo proſint, qui aliis præſunt. Quî pudori, quî temperantiæ populus ſtudebit, ſi qui Regibus adſunt, nihil oris habent, ſintquè ventris mancipia. Non enim benè conſulet, qui ſibi adverſatur, neceſſumque eſt vitiis favere, quem vitia tenent. Principis quoq; famæ nocet, à talibus juvari. Vulgò ſolitum, ex conſodalibus dignoſcere mores. Pietate inſignes illi ſunt? talis Rex ducitur. Improbi? hic æqui contemptor ac monſtrum. Ut in conſiliariorum delectu cauti Scydromedienſes, ita ſemel admiſſos fovent Patris, & ab eo, filiorum adminicula. Ne leges Conſilii novitate mutari plebs opinetur, aut oppreſſionis ſuſpicio ingruat. Quis neſcit multa eis nota, quæ non niſi longo rerum uſu comparare ſubſtituti poſſunt? In conſiliũ admi-

admiſſis, diſparium cœtus interdicitur, ne colloquio arcana detegantur. *Numquam ſine alea patent, quæ in penetralibus debuiſſent recondi.* Pervic acibus, & quibus aliorum ſententiis contradicendi pruritus eſt, primum admonitio, dein abacti fiunt, ſi perſeverent. Affectibus vacuos eſſe oportet, qui in medium conſulunt. Cæterum Avaro nihil deterius execrantur. Quæ fides, quæ probitas, ubi pecuniæ aditùs patet? is facile ab officio abit, quem auri fulgor excœcat.

Secretorum præfecti, non qui calamo, ſed qui intelligentiâ pollent, quæruntur. Ipſis arduum munus, in conſilio acta metiri, & erroribus ſuccurrere. Belli pacisq; artibus, ut inſtructi ſint, oportet; ne quæ ab iis errata, in conſilium refundantur. Scrydromediis mos, legatis, aut majoribus miniſtris adjungere, quos ad Aulæ ſecretaria deſtinant. Commiſſis ſolertius incumbunt, quod ſciant ſe ad altiora promovendos, ſpeſque ſubeat, eminendi. Arcanorum detectores igni & aquâ interdicuntur. *Publicæ adminiſtrationi ineptus, qui ſilere non poteſt.*

DE LEGATIS.

Cap. VI.

Nihil impenſius Scydromedienſes moliuntur, quàm oratores ad exteros mit-

tere ; gnari arduum Principum aures ritè imbuere, & hoſtibus colloqui. Ad potentiores Reges purpuratorum præcipui legantur, quibus nobilitatis decor gratus, & virtus læta. Sperni ſe cogitant, ad quos viles deſtinantur. Ingens quoque ſolertia, eos excerpendi, qui cum populi genio, quem adituri ſunt, coveniunt. Conferre miſcendis ſermonibus morum affinitatem, & iis facilè aſſentiri homines, quos diligunt. Ad benevolentiam accedit ingenii modeſtia, fluxusque, quibus non ægrè animos ſurripiunt, & obſequii ſpecie trahuntur etiam inviti. Ut implere aures laborant, ita à verborum inſidiis cavent. Idem ſcopus, ſuadere, non decipi. Præſcripto adhærent, & quicquid ſpes ſuggerat, nihil injuncti immutant. Regis interpretes Legati ſunt, quibus nefas à commiſſis diverſa efferre. In talibus enim cedit utilitas imperio. Certus ille occumbere, qui mandati fines transgreſſus. Neque injuria; Cum multa ſœpè Legatis occultare, Principes adigantur, & quæ fugere eos, etiam reipublicæ intereſt. Hoſti imponere parant? pacem trahere aut bellum? Legatos ipſi decipiunt, & in id quod maximè averſantur, urgent, ut eâ fraude impenſius injuncta peragant, tollantque ſedulitate ſuâ, doli ſuſpicionem. Ad juſtitiam nihil refert, quibus modis meditata parentur. Mente eripiatur, quod ferro obtineri non poteſt.

De

DE MAGISTRATIBUS.

Cap. VII.

UTi dignitatuum fontes monarchæ, ita ab illis Magiſtratus gloria. Non enim ſorte apud Scydromedios, aut urnâ poteſtas datur, ſed conſilio. Non ſat iis mores aut vita diſcernuntur; impare ſœpe negotiis ducto, & nacto imbelli validiſſimi locum. Virtus prodeat, quæ attolli debet. Ne verò in electione error gliſcat, aut præcoci judicio Principes decipiantur: modus ineſt. Non per ſaltum collati honores, ſed gradatim, & prout merita urgent, impenſi. Æquum præbere ſe munere dignos, qui ultrà evehendi. Non ætas diſtincta, juxtà juveni, ſeni præfecturam petere licet. Cur magna virtutis indoles ab officio arceretur? ſinerentque mortales extingui in Reipublicæ decus natos? non raro Virtutis quàm ætatis curſus celerior. Ne juventæ vero ſpecie populus offendatur, cautum ne quis antè vigeſimum quintum annum publica munia obeat. Indecorum alios regere, qui tutore adhuc egent, & quibus adminiculo opus, ut ſe tueantur. Plebejis paſſim prælati Nobiles, quibus ingenitus animi vigor, & imperandi inſita cupido. Natalium memores, ad majorum exemplum pelluntur, & honoris aculeo

ſtimulati, horrent quicquid à gloria deviat. Vulgò autem electi, errores non verentur, qui nihil habent, quod delinquendo, lædant. Imo quia viles, tyrannide aut ſævitiâ conſulunt famæ. *Nihil plebi modicum, aut viliter paret, aut imperio inſoleſcit.*

Ut ab uno Scydromedia regitur, non qui Democratico ſtatui irrepit, metus, ſcydromedienſes inceſſit, præfectos prorogandi. Ii perpetui, & non tempore finita poteſtas. Non eos movent; à natura cunctos pares; Reprimi viciſſitudine ingeniorum faſtum. Langueſcere longâ authoritate ſolertiā. Naſci ob prælationem, inter cives invidiam. Quæ procerum aut populari imperio obſunt, Monarchiæ favent. In ea utilis poteſtas, quæ non ceſſat. Regendi ars tempore paratur, & ad negotia ineptus ille, quem illa non formant. Quî enim expertus, ſi quotannis ab officio diſcedendum, & privati magiſtratus fiant, antequam officii arcana norint. Nihil ſolidum, quod uſu non firmatur. Ubi authoritas? Ubi populorum veneratio, ſi, quos honorant, brevî ſint in numerum redigendi? præterea, ut varia hominum mens eſt, non iiſdem regulis adhæreſcunt. Deſtruunt poſtremi quæ à Veteribus ſtatuta; & ad Tyrones delabitur, quod exercitatis debetur. Neq; lucro aut pecuniis tantum inhiant præfecti perennes; quos ſatietas fatigat, & cupere amplius non finit, quibus opplentur. Acrius culices mor-

mordent, dum recentes corporibus adhibenter: ſaturæ, vix pungunt. Aerarium verò, majoreſque poteſtates ad tempus purpuratis conceduntur. Ne ad rationem compelli adminiſtratores nequeant, aut ad rebellionem animentur. Non uni plura obire officia datur. Ne idoneis ad honores præcludatur via, & ſimultatis cauſa amputetur. *Aegrè duobus ſufficit, qui unum ſtrenuè curat.* Quis multa ſimul mente complecti, quis explere poteſt? imbecillia mortalium ingenia, & quæ è facili confunduntur, cum ſe variis immiſcent. Is cenſui præſit, ille provinciæ. Hic magiſtratus, iſte ducis officio fungatur. Sit diviſum, quod ab uno, citra injuriam adminiſtrari non poteſt.

DE LEGIBVS.

Cap. VIII.

Conditorem Scydromedum leges habuère. Paucæ initio, & non niſi quas neceſſitas extorſit. Lites parit Legum multitudo, & quos adverſos effecit, ſæpè ambos ſuſtinet. Quis non ſceleri receſſus? quæ non immunitas noxio, ubi jus varium, & decreta confunduntur? Ut futura in incerto ſunt, in facta dumtaxat leges ſtatuuntur, ne committere homines, quod neſciunt, doceantur. Quod enim ultra communem audaciam eſt, veluti patrari non poſſit, re-

putatur. Unde quæ ad Reipublicæ ſalutem neceſſaria, in paucis libris conferuntur. Ea non cuique pro libitu interpretari fas. Juris anima & ſenſus, Principis mens eſt. Illa judex aberrans, tribunali detruditur. Non eorum judicium Scydromedienſes ſequuntur, qui putant jus vulgo ſubtrahendum, ne contemptui quædam verba fiant. Patet quod ad cunctos attinet. Aequum, unumquemque ſcire, quibus alligetur. Non ſtatuta opidatim, ſed quæ civitas una amplectitur, cæteræ admittunt. Pauci quoque judices, uno ſæpè tres provincias curante. Inter duos lis oritur? ambo ſponte ante judicem ſiſtuntur, & coram teſtibus, ſi illis opus, injuriæ pateſcunt. Ille codice aperto, legem monſtrat & paucis diſcordiam dirimit. Ab eo non niſi ad Regem appellatio conceditur. Quæ apud eos conſuetudine irrepſère, ſervantur. Recipere enim omnes putatur, quod abſque coactione receptum. Legis interpres conſuetudo, & quodammodò ſupra eam, ſi bona. Temeratæ legi ſupplicium infligitur. Spretæ autem conſuetudini, non niſi pudor. Ubi Utilitas ſuadet, aut civium mores urgent, nova jura ſtatuuntur. Non ineptum ſecundum tempora, novas condere leges.

DE

DE URBIBUS.

Cap. IX.

NOn formâ, non magnitudine eâdem Urbes. Situ, loco diſtinguuntur. Quaſdam colles ſuſtinent. Aliæ in plano locantur. Neque paria omnibus munimenta. Prout periculum imminet, propugnacula firmant. Myrtopela ſeu mole, ſeu opibus cæteras anteit. Ad dignitatem Cæſarion confert, fluvius ingens, emittendis recipiendiſve mercibus. Origo incerta, niſi quod reconditæ ſub terra aquæ, per varios aditus in unũ commeant, & concurſu dilatentur. Ab Urbe per quinquaginta ſtadia uno alveo continuus, mox per brachia diſtractus, agros oppida circumit, donec iterum coalitæ aquæ uno impetu in mare feruntur. Similis altitudinis ædificia, & ſi vetuſtiora excipias, coctili laterculo inſtructa. Muri quoque antè deditionem, ſed quos Victorum manus reſtituêre, auxereque. Additæ turres in decus in munimen. Non cum veteribus Scydromedii conveniunt, tutas eſſe probis civium moribus Urbes, & ſupervacanea mœnia, ubi Virtus habitat. Rara hæc, & non niſi inter paucos ſperanda. Dein quî hoſtes arcebuntur? quod factioſis frænum; Ut clypeis corpora, ita mœnibus cingendæ Urbes. Civitatum præcipuas inſuper arces tutantur.

Neque

Neque obeſt, iis ſœpe Reipublicæ perniciem accedere, rebellibus eſſe ad manum, & inimicos occupatis defendi. Parva hæc, ſi cum civium ſtrage, dum hoſtis irrumpit, compares, fidi ſint, quibus has Princeps committit, & virtutem experiatur, priuſquam evehat. Forte decipitur, & fidei miniſter haud ſtat! Quis de futuro ſpondeat, & errare mortales miratur? Cum non raro inſperata contingant, & metum excedant caſus. Utcumq; ſuis ſemper melius, quàm hoſtibus offerri. In ſeſe exurgunt cives, cum à Principe deficiunt. Quæ ad mare porriguntur oppida, iiſdem quibus Urbes legibus reguntur. Non mercatorum aditus, non advectæ deliciæ incolarum mores fœdant. Vino parci, & voluptatum magis patientes, quam avidi. Rarà fraus, & incognita cæterorum mercatorum vitia. Hæc Rectorum ſeveritas inhibet. Illam infidelitatis pudor. Myrtopelam paſſim Reges inhabitant, quod in regni medio ſitam, ex æquo ſubditi petant. Non ædes ſacræ, uti apud nonnullos, ſalutis aræ. Impium, ſanctitatis velo, tegi ſcelera, & peccantibus patrocinari ſuperos. Quidni eo ſubſidio, ad flagitia homines excitentur, & leges evertant ſecuritatis prætextu. Sic tuto aufugient ſervi, ſic impunè fures graſſabuntur. Sint innoxiæ ſupplicum preces, & non is foveat ſontem, qui punit crimina. Avellitur ab altari, qui datâ operâ proximi ſanguinem fudit, & in eum jure animad-

animadvertitur, qui in jus deliquit. Hoc pacto, rara adulteria, rariores Virginum raptus, quod ſciant, ſequi ſcelera pœnam.

DE CIVIBUS.

Cap. X.

HOrret natura bonorum communionem, nihilque Reipublicæ aptius, quàm proprietate dividi. Cur enim furtum prohibuiſſet Deus? cur pacta ſanciret? cur ad ſuccurrendum miſeris hortaretur, ſi æqualis poteſtatis omnes, & alter alteri non cedit. Hinc Scydromediæ Civibus varia ſupellex, opes diverſæ & commoda. Quisquis id ſuum cogitat, quod labore, quod induſtriâ conparavit. Eo ablato, ubi agrorum cultus? ubi ædificiorum cura? ſi nihil in ſolicitum labor conferat? ſinguli habeant, quod ſuum effecere. Uti facultatibus, ita habitu diſpares. Serico purpurati utuntur. Judices purpura, cum pro tribunali ſedent, tegit. Cæteris lana pro indumento, ſed quam dignitas pretio variat. Diſſimili veſti eadem tamen ſpecies modusq;. Fluxa ad poplites tunica, quam ad corpus cingulum arctat. Edicto prohibitum, alienæ gentis formam mutuare. A patribus traditum, imperii mutationem fore, ubi externi ornatus placebunt. Pudica mulierum indumenta, apud quas præter manus faciemque,

que, quicquam corporis oſtendi profanum. Nemo inter cives numerandus, qui non in Scydromedia natus. Periculum, ne in civitates aſſumpti advenæ, mores ſuos intrudant, & animorum diſſimilitudine, motus concitentur. Non coitio inter diſpares, non fides. Peregrinis mos ſua ſtudia promovere, & tanquam locuſtæ arrodere aliorum ſegetem. Tranſitu contenti ſua curent; neque de alienis ſatagant inquirere. Quod ſi ad eos naufragio neceſſitatevè aliqui pellantur, foventur, & miſeris ſit ſatis.

Quemadmodum Interpretum incuria leges torpeſcunt, & â pueritia tanquam à ſemente cætera ætas pendet; litterarum gymnaſia paſſim inſtituta, quæ imbelles animos corroborent, & ad gloriam attollant. Statim in ſecreto humana mens langueſcit, æmulatione ſtimulatur. Præceptores quibus juvenum cura, ſanæ doctrinæ integris moribus, & cupiditatum ſcrutatores non ignavi. Non ſcientiarum prælectio, omnibus delectantur.

Ut varia mortalium ingenia, iis, quibus maximè gaudent, vacant. Quidam poëſi, ſed caſtæ dant operam. Amat ea gens involucris Philoſophiæ arcana complecti, & ſub fabularum cortice, ſua detegi vitia. Nonnumquam proſunt quæ ſub fuco latent, lædunt ſemper quæ aperto proferuntur. Magnum quoque eloquentiæ decus, quo in bellis, in ſeditionibus utuntur. Nulli Legati, qui

qui dicendi facultate non emineant : quod ei numinis vim ineſſe autument,uſu experti, à quibuſdam plures urbes oratione , quàm armis expugnatas. Medicis ſuus etiam honor. Improbi verò & quorum errores aliquoties obfuere , ab officio ſuſpenduntur. Iniquum experimento mortes augere, & impunè fieri ſanicidas. Ubi ſuſpicio adeſt,avaritia aut ſcelere peccatum, extrahitur terrâ cadaver, & crimine deteão , ut proditor, ut homicida , Medicus pleãitur. Probos autem ut terrena numina Scydromedienſes venerantur. Quibus delapſam cœlitus ſanandi vim arbitrantur.

Cauſidicorum nullus penè uſus , quum raró lites , & à ſolâ judicum fide pendeant, eorum ſolertia cuſæ diſcutiuntur , & juris paragraphis dirimitur diſceptatio. Ubi autem illæ implexæ ſunt, fit judicum coitio, & quicquid ab illis decretum , ratum. Sacramento adiguntur Advocati , nullam cauſam iniquam orare. Id temerantes auribus, mox exilio mulãantur. Mercedem niſi lite finitâ, à clientibus recipere, flagitium habetur, quæ etiam exigua,ſi vincant; ſi deteriores , nulla. Ne animorum vigor tepeſcat , quilibet pro ſorte occupatur. Plebs ſe artificiis exercent,cæteros litteræ aut arma tenent. Cenſoribus negotium , ne quis otioſus vivat. Quotannis à quovis vitæ ratio exigitur, & quæ eum alant, quibusque familiam ſuſtentet. Neceſſum enim conſumere ſe inertes,

aut

aut in ſcelera ferri. Tales reperti agitandis remis ad tranſtra damnantur. Navarchorum imperio obluctantes, poſt verbera in crucem tolluntur, aut ſuffocantur aquis. Viritim Scydromedienſes Pricipem ſuum amant, verenturque. Ut legibus parent, ita quæq; ejus vitia tolerant, ſolam libidinem execrantur. Sceptro enim indignum reputant, qui fœdæ voluptati obſequitur.

DE RELIGIONE

Cap. XI.

NOn leges, non Magiſtratus abſq; Religione juvant. Peſſum it Reſpublica, quæ hâc non fulcitur, Non erga immortalem Deum, non inter humanos ſocietas, ubi illa abeſt. Concordiæ vinclum Animorum unio. Non varia Scydromedienſibus numina: uni parent. Unum venerantur, non diu ab occupata regione, Chriſtianorum moribus imbuti, eundem omnes cultum amplexi ſunt. Arduum imprimis Virginem Matrem, & Deum affectibus obnoxium credere. Primò. Phœnicis vulturum exempla, quæ abſque maſculo concipiunt, & enituntur, ſuccurrere. Ingeſta Adami labes, bonique infiniti diffuſio, alterum ſuſtulit. Mox explicata fides, obſcurorum eſſe, & ſenſus noſtros refugere, quæ creduntur. Non

omni-

omnium mens ſtatim eadem. Quisquis ut opinabatur, contumax. Miſcellaneam religionem primum Scydromedus, mox ſucceſſores ſubduxere. Non ignari per eam inter Cives pullulare odia, turbas, factiones. Illius ſectæ fotoribus Rex favet? alii inſurgunt. In iſtos pronior? deficiunt qui ipſis adverſantur. *Nihil in regno ſanum, ubi de Religione inſanit populus.* Principis munus, diſſidiis viam præcludere. At quomodò id fiet, ſi diverſo cultu Cives confundantur? quæ ab eis ſperanda fides, ſi eam ſuperis non præſtant? quare ad unitatem Scydromedienſes, non admonentur mòdo, ſed compelluntur. Nulli fas, à recepta aliam pietatem profiteri. Non obfuit, quoſdam initio proclamaſſe ſe liberos, & pendere ab arbitrio, quam impendimus, fidem. Iis reſponſum, ſtupra, adulteria legibus comprimi, quamvis libertate committuntur. *Non quicquid voluntas, ſed quod juſtè patrat licitum.*

Præveniendo diſſidio, omnis de Religione diſſertatio prohibetur. Exaſperantur contentione ingenia, nimiumque movent, quæ ad ſacra conducunt. Summum Sacerdotem, quem Pontificem appellant, habent & ſequuntur. Fidem enim unam, non niſi ab uno tueri poſſe, arbitrantur. Ab æquali nemo legem accipit, neceſſumque eſt, præeſſe unum, ut cæteri ritè obſequantur. Epiſcopi, Sacerdotes, ab eo pendent, ſuamque

D poten-

potentiam mutuantur. In id munus non proſapia, ſed virtus ſola aſſumitur. Non major inter eruditos, qui generoſiori ſanugine ſatus, ſed qui ſapientiâ eminet. Ad venerationem cœlibatus confert. Ad quem cuncti, cum initiantur, adiguntur. Æquum puros eſſe eos, qui Deo libant, & hominum mediatores præſumuntur. Ab omni tributo immunes vivunt. Indignum, iis onera imponi, qui ab aliis decimas exigunt. Hoſtium ſpoliis, non Sacerdotum damnis, Principum fiſcus augendus eſt. In neceſſitatibus verò publicis, Regibus ſuccurrunt, & de ſuis largiuntur. Inhumanum videretur, cadenti patriæ non adeſſe, & ſui in communi labe non miſereri. Quæ gratis data, dum urget neceſſitas, rependuntur.

DE COMMERCIIS.

Cap. XII.

PRæcipuus Reipubl. nervus Commercium. Illo regna florent; ablato, ingentes etiam opes, dilabuntur. Scydromedienſium Principibus perpetua ſolicitudo, illud cum exteris fovere. Rati, ſe terris dominari, dum mari præſident. Hinc quotannis ad Indos trranſmittunt naves, & alienis patriam ſuam ditant. Ut enim ad mare ſita regio

eſt,

eſt, maximum in remis veliſque robur ſuum ponunt. Quod iis, cum externis præſertim Nymphiis, amicitiam contrahant, & pax mercium communione ſuſtineatur. Mercatoribus ad imperii decora aditus eſt, neque minoris ducuntur, qui bonorum periculo, Reipublicæ proſunt, quàm qui virtute aut armis firmant. Suis Rex in exemplum eſt, nec ſceptro indignum arbitratur, mercatoris nomen. Non ad paucos coarctata negotiatio, aut (ut apud nonnullos) privatorum collegia. Cuique fas mercaturam exercere. Reipublicæ damno experti, communitati officere, quod in omnes non redundat. Quippe venalium pretium ab iis, non quantum valeant, ſed quantum avaritia ſuggerit, imponitur.

Non uſura quoque, non fœnus inter eos permiſſum. Iniquos putant, qui alieni vultus ſudore, pane veſcuntur, & terram, etiam Sabbatho ſulcant. Dein, mercatorum numerus minuitur, dum res nunmaria penes paucos, & emptio venditioq; ceſſat. Quod contingere neceſſum, ubi pecuniæ inopiâ, & multi ære alieno premuntur. Quod enim commercium, ſi fœneratores lucro faciendo pecuniam omnem condant? Ob has rationes, in eos latæ leges, qui cambii ſpecie uſuram extorquent, & pauperes fœnore fatigant. Non abſimilis in aliis contractibus æquitas. Inter pares matrimonia fiunt, con-

ſenſu mutuo, ætate maturâ. Ante vigeſimum & quintum annum, rara connubia. Mulier moribus, non divitiis aut nobilitate exiſtimatur. Quamvis nuptiæ de utriuſque aſſenſu peragantur, non tamen filii ritè parentibus invitis nubunt. Ab illis autem illata vis, connubium dirimit. Is contraxiſſe non cenſetur, qui ad id neceſſitate adactus eſt.

DE BELLO.

Cap. XIII.

RArò bellum Scydromedienſes gerunt, ſua tueri, non proferre contenti. Fortè aggrediuntur Nymphii? Fit Amicis injuria? vim illatam propulſant: Neq; minor impetus ſocios, quàm patriam defendendi. Juſta arma non rentur, niſi ad quæ neceſſitas compellit. Bello decreto, pecunia, commeatus, ferrum in promptu. Exercitui non tam viribus, quam qui conſilio pollet, præficitur. Militum varius pro tempore delectus. Equitum nonnumquam, aut peditum multitudo major. Si civitas cingenda, in pedite robur. In expeditionibus verò Equitatum dilatant. Non cuique, ut apud nos, adire militiam licet, liberos eſſe, & manibus promptos, eſſe

eſſe oportet, qui aciei deputantur. Inter eos pauci exteri; quibus pro more, ſua curare, & levi fide teneri. Omnia enim libidine agunt, qui ſine flagitii pudore, aut pœnæ metu, relinquere caſtra poſſunt. Equites non munimento ferreo corpora tegunt, agilitate magis, quàm vi armata in equis certant. Non corpore erecto, ut Cataphractis ſolenne, ſed obvianti ſe hoſti ſubtrahunt, & Umbone excipiunt ictum: Nec in ſcutum adigi ferrum patiuntur. Neque graviora peditibus arma, facilis lorica, ſcutumque; lanceis, ubi res exigit, levi mucrone aſſultant. Nullus apud eos tormentorum noſtrorum uſus, quorum originem dæmonibus tribuunt. Gladiis putant virtutem, non fulgure oſtendi. Ubi contra muros eundum, iis inſtrumenta admovent, & igniferis globis utuntur. Quamquam à variis partibus periculum imminet, ſed in unum totus exercitus emittitur. Langueſcit militibus animus, cum à ſeſe diſtrahuntur, & ingruit paucitate timor. Ut bene meritis præmia, ſic ignavis pœna. Transfugæ ſecuri percutiuntur. In ducem delinquentibus, abſcinduntur manus. Tribuni amoventur, ubi de culpa

conſtat. Si Armorum ſorte, hoſtili urbe potiantur, cives libertate donantur. Eis ſuæ gentis Præfectos aſſignare contenti, ut ſeditionem milite premant, & victos ſe fateantur potius, quàm ſentiant. Prælio ſemper Rex intereſt. Urget milites ducis præſentia. Et ſœpius Regium authoritate, quàm præliantium Robore, Victoria conſtat.

FINIS.

Aφ 1/2 165459

Digitized by Google